Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2923
Quelle:
Copyright:

ſpeciem, alludit, per *ſpeciem* intelligendo viſionem Dei, uti ex paullo antecedentibus patet. Illud praeterea notari meretur, ad varia *Pauli* loca, quibus *Auguſtinus* utitur, et praecipue ad ea, quibus de originali Labe ſermo eſt, adjectas eſſe in margine et inter lineas manu *Codici* coaeva Animadverſiones, quas ad quem referam, neſcio.

III. *fol.* 81. p. 2. *Item Sancti auguſtini de VII. virtutibus.* Initium: *Magnifice igitur et ſalubriter ſpiritus ſanctus ita ſcripturas ſacras modificauit* &c. Fruſtra in *Auguſtino* quaeras Opuſculum *de VII. Virtutibus.* Adi potius Librum ejus II. *de Doctrina Chriſt.* et invenies praeſentem Laciniam edit. *Maur.* T. III. P. 1. *col.* 22. usque ad verba: *Initium enim ſapientiæ timor Domini. Ab illo enim usque ad ipſam per hos gradus tenditur et uenitur.* Ubi Noſter legit: *Ab illo enim usque ad ipſum* (Deum) *per hos gradus tenditur et inuenitur uita et gloria ſempiterna.*

IV. *fol.* 87. p. 2. *In Hoc Corpore Continentur Soliloquiorum Sancti Auguſtini Libri Duo.* Incipiunt: *Volventi mihi multa. ac varia mecum diu* &c. Lectio admodum ſincera, ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 355. Ubi mox a principio Edita legunt: *ut me agam dignum quem exaudias, poſtremo ut liberes*, Codex habet: *Ut me agam dignum quem liberes, poſtremo ut liberes.* Acutius, atque ideo fortaſſis Autoris.

V. *fol.* 135. *Flacci Alcuini* Opus de S. Trinitate. Epiſtola nuncupatoria: *In Nomine Sanctae Trinitatis Domino glorioſo Karolo imperatori auguſtiſſimo atque criſtianiſſimo humilis leuita alcbuinus in domino deo preſentis proſperitatis et perpetuæ beatitudinis ſalutem. Dum dignitas imperialis a Deo ordinata* &c. Ad calcem: *Explicit Prologus*, et Hexaſtichon illud: *O rex auguſto clariſſime* &c. lineis nigris rubrisque alternantibus, quod et in ſequenti *Capitum* L. I. Elencho Porticibus picturatis inſcripto obſervatum eſt. Variat tamen *Capitum* numerus ab Exemplo edito in Opp. *Alcuini Ratisb.* 1777. T. I. P. 3. p. 703. Opus ipſum praenotatur: *In hoc codice continentur de fide ſanctæ trinitatis. et de incarnatione chriſti libri III.* et inchoat: *Quamvis enim in hujus Exilii erumnoſam cecitatem* &c. Libri ſequentes eodem modo Elenchos ſuos praefixos habent; ipſe vero ſplendidi Exempli Textus cum Impreſſis praeclare congruit.

VI. *fol.* 202. *Sermo Beati Auguſtini De Reſurrectione Corporum.* Initium: *Delectet nos dilectiſſimi una uobiſcum de reſurrectione carnis habere ſermonem. quia forte ſunt aliqui in aeccleſia. qui mirantur. qualiter caro reuiuiſcere poſſit ex puluere. Quare non mirentur. quomodo potuit deus omnia que ſunt. ex nihilo facere? Minus eſt enim id reparare quod erat. quam ex nihilo facere, quod non erat. Ipſa ergo mundi elementa ima-*